



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 51. ad 75

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1762**

**VD18 15558428-001**

Psalmus LXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](#)

**V. 5.** *Consiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.*

Idem repetit, additâ novâ ratione : quia jam tandem terra protulit fructum suum, cuius gratiâ facta erat, nempe Christum in carne. Utitur tempore præterito pro futuro, more Prophetarum.

**V. 6.** *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus ; Et metuant eum omnes fines terræ.*

Ergo deinceps hæc sit grata vicissitudo, ut Deus nos impleat copiâ bonorum omnium, præcipue spiritualium, & cælestium ; & contra omnes homines, usque ad ultimos fines terræ habitantes, Deum verum sanctè timeant, obediendo, & laudando in æternum. Trina illa repetitio nominis Dei & affectum Prophetæ significat, & insinuat mysterium S. S. Trinitatis, quam Christus, & Apostoli palam prædicarunt.

## PSALMUS LXVII.

**T**Itulus : *In finem Psalmus Cantici ipsi David.*

*Argumentum Psalmi alii aliud statuunt : S. S. Hilar. Et Hieron. docent decantari mysteria utriusque Testamenti; quod verissimum videtur, cum*

cum negari non possit, in hoc Psalmo decantari descensum Domini in montem Sina ad legem populo dandam; & Christi Ascensionem in Cælum, & alia id genus mysteria.

¶. 1. Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum à facie ejus.

His verbis Moyses, cum Arca elevaretur, & populus migrare inciperet, à Deo precari solebat defensionem, ac protectionem Populi. David imitatus Moysen, dicit: *Exurgat &c.* Resurgat à mortuis Christus Deus, & sic elevetur Arca humanitatis, & populum Dei præcedat ad cælestem Jerusalem. *Dissipentur inimici ejus, Judæi:* hæc enim gens per omnes terras maximè dissipata est. Et inimici, Dæmones jam devicti, fugiant à facie Christi triumphantis, & se verum Deum demonstrantis.

¶. 2. *Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.*

Ecce celeritatem, & facilitatem, quâ præsencia Christi dissipat peccatores. Si per hos intellegas Dæmones, illud pereant significat interitum vitium; si homines, sensus erit, eos, qui justos injustè persequuntur, maximâ celeritate, & facilitate à Deo tollendos de medio.

¶. 3. *Et justi epulentur, & exultent in con-spectu Dei, & delectentur in latitia,*

F

Ini-

Iniquis persecutoribus deturbatis, hoc sequitur, ut justi fruentes præsentî auxilio Dei, reficiantur alimoniâ corporali, & spirituali; gestiant præ gaudio, sed modestè, & graviter, quia sciunt se à Deo semper videri; & ex lætitiâ delectationem capiant cælestem, & carnalem oderint.

¶. 4. *Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus; iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.*

Hæc dicuntur ad Apostolos, & primos fidèles. *Cantate Deo vos primitiæ credentium: laudate Deum voce, & opere: parate viam Domino prædicationibus vestris, ut is, qui jam ascendit super occasum, qui supergressus est omnem corruptionem, & mortalitatem, & habitaturus est per fidem in cordibus omnium gentium, per vestras prædicationes aditum apertum, & paratum inveniat: nam Dominus est, quia condidit, & redemit, & ideo jure suo regnare debet.*

¶. 5. *Exultate in conspectu ejus: turbabuntur à facie ejus, patris orphanorum, & judicis viduarum.*

*Vos, qui paratis viam Domino, exultate &c. nec timeatis eos, qui vos turbant persecutionibus suis, nam & ipsi vel in die judicii, vel quando Deo opportunum videbitur, gravissimè turbabuntur à facie iræ Dei, qui est pater orphanorum,*

norum , & judex viduarum , h. e. omnium desolatorum , afflictorum .

¶. 6. *Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.*

Docet, se potissimum loqui de orphanis , & viduis spiritualibus , qui solum Deum agnoscunt pro Patre, & Sponso ; in eo solo confidunt, eum solum diligunt, & desiderant. Deus habitat in loco sancto suo , in mentibus horum orphanorum, & viduarum, horum peregrinorum in terrâ alienâ : ipse est, qui facit sibi hanc domum , dum habitare facit unius moris , h. e. unius fidei, spei, caritatis, ut erant primi Christiani , Act. 4.

¶. 7. *Qui educit vinculos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulcris.*

Declarat magnam pietatem Dei : ligatos vinculis peccatorum educit de captivitate in fortitudine brachii sui ; & quod majus est , eos, qui exasperant per incredulitatem ipsum Deum, & qui habitant quasi mortui in sepulcro profundissimæ iniquitatis , eos etiam potentia gratiæ suæ educit de sepulcris , reducit ad vitam , & habitare facit unanimis in domo.

¶. 8. *Deus cum egredieris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.*

¶. 9. *Terramota est, etenim Cali distillave-*

runt à facie Dei Sinai , à facie Dei Israel.

Ut credibilia faciat beneficia redemptio-  
nis Christi , refert beneficia antiqua, figuræ fu-  
turorum. Cùm coram populo tuo præcederes in  
columnâ nubis per diem , & in columnâ ignis  
per noctem; eo tempore cùm pertransires in de-  
serto, post transiit maris rubri; tunc terra mo-  
ta est, dum tremere cœpit à conspectu Dei des-  
cendentis in montem Sinai ; tunc Cæli distilla-  
verunt , h. e. in gratiam Israelitici populi feci-  
sti, ut manna de Cælo descenderet.

V. 10. *Pluviam voluntariam segregabis Dei  
us hæreditati tua ; Et infirmata est , tu vero  
perfecisti eam.*

Patribus in deserto Cælum distillavit , te ju-  
bente, pluviam quandam, seu manna : sed Eccle-  
siæ tuae, quam tibi tanquam propriam hæredita-  
tem vindicasti , segregabis pluviam voluntari-  
am , h. e. gratiam Spiritus S. Hæc dicitur vo-  
luntaria, quia non descendit ex meritis operum,  
quasi vaporibus terræ sursum elevatis ; sed spon-  
te suâ Spiritus S. infundit corda fidelium aquâ  
Cælesti. Dicitur segregata &c. quia bona tem-  
poralia sunt communia fidelibus, & infidelibus;  
sed gratia Spiritus S. datur solùm fidelibus in  
Ecclesiâ , extra quam non est salus.

Dabis pluviam &c., quia Ecclesia tua jam du-  
dum ob ignorantiam Dei , & invalescentes con-  
cupis-

cupiscentias debilitata erat, idolis serviens, & vitiis omnibus laborans: sed tu per gratiam Spiritus S., tanquam per pluviam salutarem confirmasti, & roborasti eam.

V. 11. *Animalia tua habitabunt in ea ; parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

In eâ hæreditate, Ecclesiâ irrigatâ aquâ Cælesti, oves tuas pascendas, regendâsque suscipes: tu enim Deus cibum parasti egeno populo tuo, juxta bonitatem, & misericordiam tuam, quæ dulcissima est miseris, & egentibus.

V. 12. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.*

Declarat cibum, quem suo populo paravit, esse verbum Dei. Faciet Deus, ut, qui annuntiant verbum Dei, quod est cibus animæ, abundant copiâ sermonis, cum multâ efficaciâ, & virtute, ut nemo adversariorum possit ei resistere.

V. 13. *Rex virtutum dilecti, dilecti: Et speciei domûs dividere spolia.*

Ipse Rex multorum exercituum Christi, dilectissimi Deo, & hominibus dabit ad speciem, & decorem domûs suæ, Ecclesiæ, dividere spolia gentium, ad fidem Christi conversarum per evangelizantes Apostolos.

V. 14. *Si dormiatis inter medios clerros, penne columbae deargentatae, Et posteriora dorsi ejus in pallore auri.*

Versiculi obscurissimi sensus videtur hic esse: si vos, qui evangelizatis verbum Domini, qui escatis in medio duorum testamentorum, novi, & veteris, acquiescentes nempe veritati à Deo inspiratæ Prophetis, & Apostolis; tunc penne columbæ, h.e. fides Ecclesiæ, & mores, erunt deargentatæ puritate sapientiæ, & deauratæ fervore charitatis. Per duos cleros rectè intelligis duo testamenta, nam clerus sortem, possessionem, hæreditatem significat: sunt autem Scripturæ Divinæ possessio quædam, & hæreditas Ecclesiæ.

¶ 15. *Dum discernit cælestis Reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis.*

¶ 16. *Mons coagulatus, mons pinguis: ut quid suspicamini montes coagulatos?*

¶ 17. *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.*

Antea Prædicatores dormientibus inter clerros, Ecclesiam columbæ deargentatæ, & deauratæ comparavit; jam eosdem comparat Regibus, & Ecclesiam monti altissimo, qualis est Salmon, nivibus in vertice coopertus, sed in imo fertilis. Dum Christus Rex Cælestis *discernit*, dividit, segregat unicuique provinciæ suum, Reges *super eam*, Apostolos super Ecclesiam, per columbam antè designatam; tunc populi multi  
insti.

justificabuntur, & nigrore peccatorum in candorem justitiae commutato, super nivem dealbabuntur in Selmon, h. e. Ecclesia. Hæc mons est ob excellentiam dignitatis: mons Dei, quia Deus eam elegit in habitationem sibi: mons pinguis ob abundantiam gratiæ, & donorum Spiritus S.: mons coagulatus, ideo pinguissimus, quia lac Divinæ gratiæ non deficit, sed quasi coagulatum in eâ semper manet. Ut quid suspicantur Eccl. non est, quod putetis esse alios montes æquè pingues, atque hic Selmon: hic est enim unicus mons (unica Ecclesia) in quo Deus habitare statuit, & habitabit, non ad tempus, ut fecit in monte Sina, sed semper.

V. 18. Currus Dei decem millibus multiplex, millia latantium: Dominus in eis in Sina, in sancto.

V. 19. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.

V. 20. Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.

Nunc comparat descensum Dei in montem Sina, ut daret legem veterem Judæis, cum ascensione Christi in Cælum, ut indè mitteret donum Spiritus S., & legem novam Christianis: quam comparisonem ideo facere videtur, ut ostendat, unde tanta abundantia lactis, & tantus candor Ecclesiæ data sint. Currus, quo ve-

hebatur Deus, descendens in montem Sina, erant  
multa millia S. S. Angelorum: quæ omnia non  
erant gementia sub pondere, sed latantia, &  
plaudentia præ voluptate vehendi Dominum;  
*Dominus enim in eis*, sedens fuit in Sinai, in  
monte sancto. Tu verò Messias ascendisti in Cæ-  
lum; captivos Diaboli fecisti tuos captivos,  
educens eos ab inferis ad Cælum; accepisti à  
Patre dona Spiritus S. pro hominibus à te re-  
demptis, eaque illis dedisti: etiam (etenim,  
hebraicè etiam) captivos fecisti, & accepisti do-  
na pro iis, qui non credebant, Verbum, carnem  
factum, inhabitasse in nobis.

V. 21. *Benedictus Dominus Deus quotidie;*  
*prosperum iter faciet nobis Deus salutarium no-*  
*nstrorum.*

V. 22. *Deus noster, Deus salvos faciendi,*  
*& Domini, Domini exitus mortis.*

Post relatam Ascensionem Christi, qui nobis  
Dux fuit ad cælum, gratias agit: Benedictus  
sit Deus per singulos dies: ipse, qui est author  
totius nostræ salutis, benefaciet nobis omni die,  
non deserendo nos in tam multiplici periculo:  
nec frustra prosperum iter, & multiplicem salu-  
tem speramus; nam ipse est Deus noster, Deus  
salvans: & Dei nostri, qui est verus Dominus  
omnium rerum, sunt exitus mortis, h.e. eva-  
sio mortis, sive est vita æterna, & eam nobis

com-

communicabit , finitâ peregrinatione transfe-  
rendo nos de morte ad vitam.

¶. 23. Veruntamen Deus confringet capita  
inimicorum suorum : verticem capilli peram-  
bulantium in delictis suis.

Docuit, quid Deus facturus sit amicis, jam  
docet, quid facturus sit inimicis, incredulis. Su-  
perbiā inimicorum suorum humiliabit, dam-  
nando eos ad cruciatuſ aeternos. *Verticem* &c.  
Idem est: confringere capita, & verticem crini-  
tum, superbū : *Perambulantum* &c. vitæ  
tempus peccando consumentium.

¶. 24. *Dixit Dominus, ex Basan convertam,*  
*convertam in profundum maris.*

¶. 25. *Ut intingatur pes tuus in sanguine,*  
*lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.*

Confirmat Deus sententiam Prophetæ de per-  
ditione impiorum. Ego Dominus abstraham  
inimicos meos ex Basan, regione uberrima , &  
projiciam in profundum maris, ut olim egi cum  
Pharaone. Convertam nempe impios à volup-  
tatisbus in ultimam perditionem , tantaque erit  
hostium strages , ut pes tuus , ô popule meus,  
tingatur in sanguine occisorum , & lingua ca-  
num tuorum tingatur ab ipso sanguine, ex ini-  
micis effuso.

¶. 26. *Viderunt ingressus tuos Deus, ingres-*  
*sus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto.*

F 5

Docet

Docet eos, qui testes victoriæ Christi de hostibus fuerunt, cœpisse omnia toti mundo cum cantu, & lætitia publicare. Non desunt, qui viserint itinera tua, Christe Deus, actiones, prælia, victorias tuas : ingressus, inquam, tuos, qui es Deus meus, Rex meus, qui nunc es in sanctuario tuo, h. e. Cælo, per visibilem præsentiam, vel in Ecclesiâ per fidem, & providentiam.

¶. 27. *Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistiarum.*

Visâ Christi victoriâ, quâ de potestate Sathanæ liberati sumus, Ecclesiarum Principes prævenerunt alias gentes, ut Christi laudes prædicarent, & resonarent, conjuncti S. S. Angelis ob eandem causam psallentibus in medio animarum sanctorum, quæ cum Christo in Cælum ascenderunt. Hæ dicuntur, juvenculæ, quia recens vitam ducere, & cum Angelis Deo assistere, eique psallere, & cantare cœperunt.

¶. 28. *In Ecclesiis benedicite Deo, Domino de fontibus Israel.*

Hic ¶. est quasi parenthesis, quâ David prævidens futuram lætitiam Principum Ecclesiæ, horretat eos, ut in Ecclesiis, quas fundaturi erant, pergerent benedicere Domino Deo, materiam laudis haurientes de fontibus & promissionibus Israelitis olim factis, quas nunc impletas esse gaudemus.

¶. 29.

¶. 29. *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.*

¶. 30. *Principes Iuda, ducес eorum, Principes Zabulon, Principes Nephthali.*

Redit ad ¶. 27. & docet, qui sunt illi Principes, qui prævenerunt &c. Isti, inquit, Principes sunt Benjamin &c. per quæ nomina S. S. Patres intelligunt Apostolos, qui constituti sunt à Deo Principes super omnem terram. Primo loco nominatur *Benjamin adolescentulus*, h.e. S. Paulus, qui erat de tribu Benjamin, & novissimè vocatus; sed *plus omnibus laboravit prædicando* victoriam Christi; *is in mentis excessu ita conjunctus fuit psallentibus in tertio Cælo, & in Paradiſo*, ut tunc nesciret, an in corpore effet, an extra corpus. Reliqui Apostoli fuerunt ex tribubus Iuda, Zabulon, Nephthali, vel ex duabus posterioribus ad tribum Iuda redierunt.

¶. 31. *Manda Deus virtutis tuae; confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

Petit, ut Deus perget exercere potentiam in superandis hostibus, & constituendâ Ecclesiâ. Liberasti nos de jugo Satanæ; transtulisti in Regnum Filii tui; ejusdem sanguine plantasti Ecclesiam; effudisti in nos Spiritum adoptionis filiorum: confirma hæc omnia, quæ opera sunt misericordiæ tuæ.

¶. 32.

¶. 32. *A templo tuo in Ierusalem, tibi offerent Reges munera.*

Hic ¶. intelligi potest de Regibus, qui regnant in Cælo cum Christo; vel de Regibus spiritualibus, Sacerdotibus Ecclesiæ; vel de Regibus temporalibus.

*A templo, quod est in Cælesti Ierusalem, tibi Deo Sancti, qui regnant cum Christo, offerent sacrificia laudis perpetuæ.*

*A templo, quod est in Ecclesiâ Catholicâ, tibi Deo Sacerdotes, qui sunt ministri Regni tui, & populum vice tuâ regunt, offerent sacrificia Eucharistica, laudum, precum, conversionis animarum.*

Ob sanctitatem templi, quod est in Ecclesiâ, offerent tibi Reges terræ munera pretiosa ad templi ornatum, & ejus ministros alendos. Vide Isa. C. 60, & 66.

¶. 33. *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento.*

Convertit orationem ad hostes Ecclesiæ, qui pacem ejus perturbare satagent, ne prædicta sacrificia offerantur Deo. *Increpa, exterre, coerce feras arundinis, sylvestres, latentes inter arundineta; puta Dæmones, qui libenter versantur inter homines vanos, leves, in locis humeribus, ubi regnat luxuria, vide Job. C. 40.*

¶. 16.

¶. 16. Tum addit persecutio[n]es hominum : Sa-  
tanâ instigante facta est congregatio Princi-  
pum, s[ecundu]m s[ecundu]m instar taurorum, in medio po-  
puloru[m] insanientiu[m] instar vituloru[m], ut re-  
jiciant, ad nihil redigant Prædicatores Fidei,  
qui probati sunt instar argenti, in fornace ignis,  
& inventi purissimi, ac fidelissimi.

¶. 34. *Dissipa gentes, quæ bella volunt : ve-  
nient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet  
manus ejus Deo.*

Prædicit victoriam de persecutoribus. Tu  
dissipabis omnes, qui bella movent adversùs po-  
pulum tuum : & tunc venient legati ex Ægypto  
pacem petentes, & subjectionem profitentes : &  
Æthiopia præveniet apud Deum manum Ægypti  
offerentis munera. Sic Eunuchus Candacis  
Reginæ Æthiopum ante Ægyptios, aliásque  
gentes ad fidem Christianam adjunctus est. No-  
minatur Ægyptus, ut valde inimica veræ reli-  
gionis ; & Æthiopia, ut valde longinqua.

¶. 35. *Regna terra cantate Deo , psallite  
Domino , psallite Deo , qui ascendit super ca-  
lum cali ad orientem.*

Pergit prædicare, per modum exhortantis,  
conversionem Gentilium ad fidem Christianam.  
Non solum Regnum Israel, aut Juda, sed totius  
terræ regna cantate Deo : ex fide agnoscentes  
verum Deum, cantate laudes ejus, non solum  
verbis,

verbis, sed & operibus : qui postquam ascendit  
in altum, sedet in summo Cælo ad fontem lu-  
cis, unde oritur omne lumen.

v. 36. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis :  
date gloriam Deo super Israel : magnificentia  
ejus, & virtus ejus in nubibus.*

v. 37. *Mirabilis Deus in sanctis suis De-  
sus Israel, ipse dabit virtutem, & fortitudi-  
nem plebi suæ, benedictus Deus.*

Loquitur de secundo Christi adventu. Ecce,  
qui humilis apparuit, & sicut agnus coram ton-  
dente obmutauit, nunc sedet super cælum Cæli,  
& paulò post dabit voci suæ, ut sit potentissima,  
nempe resuscitans mortuos ad vitam, reprobos  
sine resistentiâ condemnans ad infernum : ad  
quam vocem omnia omnium Principum edicta,  
& imperia nullius virtutis existimanda sunt. Re-  
ctè igitur glorificate Deum super beneficia elec-  
tis collata: quia magnificentia Dei, & potentia  
maxima apparebit, dum electi à dexterâ, & si-  
nistra Judicis sedebunt in nubibus, quasi soliis  
cælestibus, & sublimissimis. Et tunc totus mun-  
dus intelliget Deum in provehendis electis ab  
imo ad summam gloriam, dum eos verâ immor-  
talitate, & impassibilitate donabit. Ergo *bene-  
dictus Deus*, cuius misericordia, justitia, po-  
tentia, sapientia ex tot mysteriis mirificè decla-  
rata sunt.

PSAL-